

nulla tam subtilis est, vel & a mente concipi potest, quod non innumeris modis magis grossa sit, magisque corporeæ modis particeps, quam anima quæ spiritus creatus absolute talis.

THESIS. IV.

Anima unio qualis cum corpore. *Anima cum corpore similem unionem, qualem angelus cum corpore assumpto habet.*
Exegetis.

§. I.

Unionis anima cum corpore explicatio. **M**agnum & admirandum divino omnipotentia opus imo & beneficium magna devotione, pietate grataque mente depredicandum, quod animam toto coelo distinctam substantiam, cum corpore caduco Deus fragilique uni erit. Quæ unio non consistit in *contactu aliquo physico vel locali*, qualis est inter *thuribulum & ignem*, multo minus est *mixtio vel confusio*, quo duæ substantiæ in unum contextum indivisibilem coalescunt, ut *aqua & vinum confunduntur*, vel ut ex *aqua & melle fit hydromel*, neque etiam accidentis cum subjecto compolitio: sed sunt *duæ substantiæ* quæ ununtur & contextum unionis subeunt salva utriusque *substantiæ suarum proprietatum congerie*, substantia *dignior & divinior*, jungitur cum substantia *indigniori fragili, materiali & corruptibili* sicque est *unio hypostatica*, in qua & per quam anima substantia cum corporis substantia ad tempus mortis ununtur, in qua copula vel conjunctione hoc ipsum quod non erat persona, quasi personalitatem lucratur, nos dicimus *unionem eam respondere, vel esse analogam unioni Angeli cum corpore assumpto*, quippe sicut (1) *Angelus est perfecta & completa substantia* sive cum corpore assumpto conjunctus, sive non sit conjunctus eodem